

F. K. 91.

13

x 2054908

To. 22.

Zc
6397

A & n.
PROGYMNASMA
DE
VITÆ HUMANÆ MIMO,

ad
VIRUM
EXCELSUM
HEINR. HILDEBRANDUM

ab Einsiedel /
Toparcham in Scharffenstein / Weißbach & Dieters-
dorff / Primatem Misniæ,
Elect. Saxon. à Consiliis Appellationum
& Rerum Metallicarum,
MECÆNATEM,
AFFINEM,
OPT. MAX.
expromptâ memoriâ
dictum,

in
FUNERE
VIRI
ILLUSTRIS
FRIDERICI DE METZSCH,

Toparchæ in Reichenbach & Griesen/&c.
S. Rom. Imp. ArchithesaurarI, Cæsar. Majest. ConsiliarI &
Sereniss. Elect. Sax. Intimi, SynedrI Magni Præsidis, Optimatis de
Patriâ præclarè meriti & Herois incomparabilis,
dirigente,

CHR. FUNCCIO M. Freib.

ab
Archiprogyrnastâ
CASPARE ABRAHAMO à Schönberg/
cui

à latere fuerunt
Progyrnastæ Freibergenses,
OSWALDUS Kronberg / Præco ad Actum progymnasticum audien-
dum invitans,
AUGUSTUS Schönlebe / Arbiter ad bene agendum Mimum vitæ
exhortans,
SAMUEL Rielmann / Gratiarum Actor post habitas grates ultimum,
VALE Nobilissimis Manibus occlamans,

FREIBERGÆ
ANNO ÆR. CHR. M DC LV.
Die D. Nicol. Hor. I. pomer.

STANNO BEUTHERIANO.





D. T. O. M. A.

HEU! HEU!



Conclufit, ut vitæ curfum, fic os, fic oculos, fic aures, fic nares, fic omnem denique fenfitivam facultatem, tædiò vitæ ad mortem irrevocabili constantiâ jamjam decurrens, *Vir Generofi Stem-matis Gloriâ & Strenuâ Magnificentiâ Eminentiffimis, FRIDERICUS DE METZSCH.* Abiit nimirum ad plures, fed plenus Annis, plenus Honoribus, illis etiam, quos femper recu-lavit. Nobis ergò quærendus Ille, imitandus ac defiderandus eft, ut Exemplar ævi prioris: Eruditione enim, infignioribus Virtutibus, honeftiffimis Moribus atqve Confiliis intimis nulli par erat. Et licet etiam aliquem Virtute parem habuiffet, Gloriâ tamen ac Dignitate neminem, quippe qui jam tum ante tria hætenus elapfa luftra Legatione decimâ tertiâ fungebatur. Maximè verò ad Integritatem vitæ nihil, quò fup-riorem hoftiâ haberet, fecit reliqui. Namq; in altiffima tranqvillita-te, pari veneratione annum quintum & feptuagesimum excedens, deli-catò magis corpore quàm infirmò, fatis diu Mundi Theatro exhibitus eft, poftquam in hoc Vitæ humanæ Profcenio partes egerat industriâ laudabili, laudabili quoq; mortis aditu, quamvis duriori longiorique. Cu;mqve res humanæ futiles & caducæ fint, occafionem inde arripuit fibi, ut aliquo Gloriæ Industriæqve perfecto opere mortalitatem effuge-ret, ac, quatenus nobis denegatur diu vivere, reliquit Ille aliquid, quò fe vixiffe testaretur. Sed dicat aliquis, & objiciat inftar Achilleæ alicujus panopliæ Fata, quòd nunquam & Auguftiffimo Romanorum Impera-tori, & Sereniffimo Saxonix Octoviro, & Antiquiffimæ Metzschiadum Proſapia, vel gravior fortis oppreffio, vel major damni neceffitudo, vel juftior luctus occafio venerit, quàm cum fummus fatorum Mo-derator & rerum Arbitrator fuperioribus menſibus Theatrò exire juſ-fit, quem ornando Seculo per annos feptuaginta, & quòd excurrit, ſin-gulari munere impenderat, *Virum Generoſum & maximè Strenuum.* **FRIDERICUM DE METZSCH.** Sit ita, ſint Fata gravia Inviçtiſſimo Romanorum Imperatori, ſint gravia Potentiſſimo Saxonix Prin-cipi, gravia Nobiliſſimæ Familix, gravia Seculo, gravia Synedrio Ec-cleſiaſtico, gravia etiam Foro & Roſtris, ſciat interim Adverſarius, quòd impleverit *Generoſus Noſter* annum quintum & feptuagesimum, quæ ætas etiam robuſtiſſimis ſatis longa eſt: Sciat, quòd evaſerit perpetuam valetudinem: Sciat, quòd diſceſſerit ſuperſtitibus Suis, florente Rep. quæ

quæ *Generoso Heroi* omnibus Suis charior atq; amabilior erat: Sciat de-
 niqve, quòd expleverit felicissimè *Industriae Gloriam*qve cursum: More
 enim *Comicorum*, Actum ultimum absolvens, è *Theatro* abiit, nos
 paulùm acturos reliquit, & cortinam subiens, dixit: VALETE & PLA-
 UDITE. Idem sapuit *Generosus Heros*, quod *Octavius Caesar Augustus*
 apud *Atlantem* illum *historiae Caesarum*, *SVE TONIUM TRANQVILLUM*
 sapuisse legitur. Supremo hic die non modò, petitiò *speculò*, capillum
 sibi comi ac malas labentes corrigi præcepit, vel ut dissimularet vim
 morbi, & spem visentibus faceret longioris vitæ, an potius, ut, ex veteri
Græcorum Romanorumq; consuetudine, diligenter caveret, ne indecen-
 ter abiret ad plures; sed exquisivit quoqve, ac Amicos admissos per-
 cunctatus est; *ecquid iis videretur, mimum vitæ commodè transegisse.*
 Adjecit & Clausulam: Δότε κρότον καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς πομπύσατε. Quæ
 Clausula *comicorum Histriorum* propria fuisse videtur *Principi ingenii*
 & *doctrinæ* qv. Deo, I. S. CASABONO, qualem & illam judicat, quâ usi
Rhapsodi: οὐδ' ἴθου μάκαρες. & *Citharædi*: ἀλλ' ἀναξ μάλα χαῖρες. Quan-
 quam alibi legimus, *Tragoedos* quoqve hac Clausulâ usos: νῦν δὲ θεοὶ τῶν
 ἑδλῶν ἀφ' ἰθου ἐσησαν. Obtundo fortè, *Auditores Magni*, vestras tricis hisce
Grammaticis delicatas aures, & vereor, ne cui mirum esse videatur, cur
 in *Oratiuncula Funebri*, in loco publico, cùm res agatur apud lectissi-
 mos Viros, & apud severissimos eruditionis Censores, tantò *Literato-
 rum* conventu ac frequentia, ludicrò utar genere scribendi, quod à con-
 suetudine parentandi penitùs abhorret. Sed detur venia accòmodata
 mihi, aliis, quemadmodum spero, non molesta: Dum enim *justa fune-
 bria Alii Generoso ac Magnifico Præsidi* pararunt, *duæ* nobis *quasi cortinæ*
apparent, quæ hoc in *Mundi Theatrò* dependent; *altera* quippe est *in-
 trantium*, *altera* *prætereuntium*, *una vitæ*, *altera mortis*, *una*, quâ nascendo
Theatrum ingredimur, *altera*, quâ moriendo egredimur è *Proscenio*.
 Brevisimis dicam, quod res est: *Mimus* apparet, an *famqve* ulteriorem
 præbet, ut pro re natâ *Sermonem persvasorium* institutam ex *Locò Compa-
 ratorum*, & brevi quasi *penicillò* rem universam depingens, ostendam,
Vitam humanam esse Mimum. Quòd si igitur res hæc trita sit, tritæ
 rei novam promitto, nec pervulgatam *Oratiunculam*, ut rogandi
 mihi sitis vehementer, *Auditores Opt. Max.* ne potius contemnatis il-
 lam, quia trita est, quàm hanc attendatis, quia nova erit.

Miramini fortè, *Auditores*, unde mihi tantum sit natum confiden-
 tiæ, tantum audaciæ, tantum temeritatis, ut aliquid post disertissimos
 homines, quos orbis stupet, dicere non erubescam? Nefas esse duxi,
 & commissi cujusdam sacrilegii religionem veritus sum, jacturam gra-
 vissimam silentiò præterire, si jactura dicenda est tanti Viri amissio:
 Amiserunt enim *Musæ Patronum*, amiserunt *Promotorem*, *Altorem*,
Tutorem, *Fautorem*. In summâ, recenti dolore dicam, vereor, ne
 posthac sine *Patrono* vivant. Lessum ergo, qui *Musarum castra* seqvor,
 cur non pangerem? Non equidem ignoro, quantò inferius sit *ingenium*
meum Romanis, siquidem *Latinè* ac disertè loqui illis *ingeneratum* est,

mihī elaboratum, & si quid fortē commodē dico, ex illo fonte & capite
facundiaē imitatio mea, an ingenua sit dubito, derivat. Sed, quamvis
consciū mihi infirmitatis ingenitæ & inchoati potius studiī quā erudi-
diti, cohibere me silentiō nequeo, quō minus aliquid coner effari, ut
inter tot tantosque sonitus disertorum mea quoque vox tenuis exaudi-
ta videatur. Etenim, si in rebus bellicis ipsisq; præliis non solū tubæ,
sed etiam Spartanæ tibiæ stimulum in animis excitabant, cur ego diffi-
dam, & sermonem meum, non studiō potius Vestri, Auditores, cultūs,
quā suis viribus emetiar? Experiar ergō, ut possim, ac primū arri-
piam *notationem Nominis*. Alii interim nunquam, nisi gestus & actio-
nem accuratē mediati, se dent in publicum, imitantes Roscium,
histrionem nobilissimum, illum dico, discipulum Hortensii, Magistrum
Ciceronis, illum propter probitatem indignum, propter artem solū
scenā adeoque immortalitatis dignum, illum utcunq; exercitatis-
simum, qui propter artis suæ præstantiam & venustatem affectus erat,
ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius dicere-
tur. Et, ut ab ovo, quod dicitur, ordiar, quis, quæso, liberalium artium
ac virtutum nitore eminentissimorum Virorum est, quem lateat, *quid
sit Mimus?* *Mimus sanè histrio est, gesticulator, & imitator dictorum
morumq; hominum, intra vel extra scenam; à μιμηδαι imitari.* *Mimus
quoque est poëma quodvis, genus actionis imitans ita, ut ridiculum faciat,*
Interprete Magno SCALIGERO. MACROBIUS & DIOMEDES, Duūm-
viri raræ elegantiaē priscaēque doctrinaē, *Mimis lasciviam* non sine sale
tribuunt, quos amplissima illa PLUTARCHI censura distingvit in *ar-
gumenta & ludicra*, *argumenta à conviviiis removens* non minū diserte
quā appositē, *quod horum actio nimis longa sit & sumptuosa*. Quia
verō in *Mimis* istis, sicut in aliis fabulis, *fieta omnia erant & as-
simulata*, ita ad alia etiam translata vox, quæ plus speciei ac simulationis habent,
quā veritatis. Quo & sensu AUGUSTUS Imperator augustissimus
Mimum dixit Vitæ. Rectē, meō judiciō, & cogitatē dixit ille. De suo
ævo loquatur SENECA, nostrumq; sugillet. *Quid Romanæ porticus
Zeno præcipiat, audiamus. Labet ipsius SENECÆ proferre sententiam:
Quomodo fabula, ait, sic vita: Non quam diu sed quam benè acta sit, re-
fert. Nihil ad rem pertinet, quō locō desinas, quocunq; voles, desine:
Tantum bonam clausulam impone.* Certē, ut *Mimus* absolvitur Prologō,
Narratione, & *Epilogō*, sic *humanæ vitæ Prologus* est *Nasci*; *Narratio
Dolere*; *Epilogus Mori*. *Mimi hujus lumina sunt Gemitus & Fletus, aut
Gaudium fletu deterius.* His lubet mihi ludere verbis decumanis decu-
manæ eloquentiaē promi condi DREXELI. Verū mittamus hæc *com-
munia*, & de Græciā in Latium demigremus: Quoniam enim emerisse
jam ē vadis Grammaticis, & scopulos æquivocos prætervectum vide-
tur *Comparisonis* meæ *Argumentum prius*, perfacilis mihi ad reliqua,
quæ peculiariter sunt, cursus ostenditur. *Comparisoni* ergō *vitæ nostræ
cum Mimo vel Fabulâ* hac vice dum insisto, *tria*, quæ in hoc Prosceniō
vitæ humanæ perspicuè vera occurrunt, *exhibeo*, ad proportionem
facien-

facientia insignem. Nonne *Mimus excipit Mimum*, natum ex Comœdia
 novum fabulæ genus, ut in continuo motu & transitu sit, cogaturq; in
 finem suum? Sic agitur vita humana. In continuo motu est ea & transi-
 tu, ut potius mors videatur censenda quàm vita. Faciamus, quod solent,
 qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabellâ totam hominis vitam
 amplectamur, inq; semet pariter universam ejus ætatem percenseamus,
 ut prima hujus lucis usura hominem excipiat, utq; ille adolescat, ut ad
 quendam juventæ florem perveniat, ut postea consenescat; annon qua-
 tuor gradus processusqve inveniemus, quorum alter excipit alterum,
 morti q; tradit? *Infantia humani Dramatis Protasis* est, in quâ parentes
 proponunt, & suscipiunt consilia infantis educandi. *Adolescentia* est
Epitasis, in quâ consiliorum fit progressus, turbisq; paulatim vita hu-
 mana involvitur. Ab hac patet *Virilis ætas*, *Catastasis* illa, in quâ totius
 vitæ status & dubius ejus eventus hæret. *Senectus* deniqve *Catastrophæ*
 expedit, & inopinatô eventum Drama vitæ concludit, utut alii in primô
 statim, alii in secundô, alii in tertiô deficient gradu. Huic meo iudicio
 suffragatur *SENECA*, Latinorum Philosophus, optimus animorum
 Medicus. *Quotidie*, ait, *morimur: quotidie enim demitur aliqua pars*
vite. Et tunc quoq; cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus,
deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usq; ad hesternum, quicquid tran-
sit temporis, perit; Hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividi-
mus. Quemadmodum Clepsydram non extremum stillicidium exhaurit,
sed quicquid antè defluxit: Sic ultima hora, quâ esse desinimus, non sola
mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu veni-
mus. Quid, quod album quoqve calculum mihi adjiciat C. PLINIUS
Cecilius Secundus præclarâ hac voce præclarô virô dignissimâ. Me re-
cordantem fragilitatis humanæ miseratio subit: Quid enim tam circum-
cisum, tam breve, quàm hominis vita longissima? Attendamus modò ad
præclara quædam facinora, quorum nullum illustrius habemus, quàm
illud Xerxis. Hic, cum immensum exercitum oculis obiisset, illacry-
mavit, quod tot millibus tam brevis immineret occasus. Annon veniâ
non modò dignæ, verùm etiam laude videntur regiæ hæ lacrymæ?
Maximè. Tam angustis quippe terminis humanæ multitudinis vivaci-
tas ipsa concluditur. En, homines, vitam vestram! Quantum temporis
spatium præterit, mors rapit. Hanc ipsam horam nobiscum dividit
mors, & æternitati tradit. Pythagoras hîc mihi è memoriâ in linguam
venit, Italiæ splendor clarissimus, qui interrogatus, quid homo esset?
Quid vita hominis? per fores ab unâ parte ingressus, perqve Atrium
transeundo ab alterâ parte mox egressus, nec ampliùs visus est; demon-
strans nostrum in rebus inane, & vitam pompam esse, in quâ præclara
quæqve ostenduntur, non possidentur, & dum placent, transeunt.
Prodeant in publicum, prodeant Athenienses, quorum obsoletam &
intermortuam jam olim consuetudinem è ruderibus atqve tumulo ad
lucem revocare lubet. His moris erat, non Soli tantùm, sed Horis pom-
pam quotannis ducere, in quâ carnes non assatas, sed elixas & jurulen-

tas in sacrificium offerebant, prout ATHENÆUS nobis auctor est locupletissimus; forsitan ut lubricæ & fugacis vitæ seiplos admonerent. Cæterum, ut ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocem, *in Theatro* videre licet *personarum discrimen*: Nam hic Regis, Principis, Comitibus, Baronis, Nobilis, Patricii, Subditi, Civis, Rustici agit partes, unus seriò agentis & loquentis, alius ludicram agit fabulam; fabulâ verò peractâ, cum vestimentis personarum qualitas exiit, inque pristinam conditionem quilibet redit. Sic in humanæ Proscenii vitæ insigne est personarum discrimen, quod mors omne tollit, ad eundem cinerem corpora redigens. *Triginta, sexaginta anni quid sunt, si cum volumine illo ævi comparantur?* quærit disertè brevioris Svadæ medulla JUSTUS LIPSIUS, in quem natura omnes vires effudit. *Punctitium sunt*, is respondet. *Nihil hic diuturnum. Vis verâ imagine tibi exprimam vitam nostram? Vidisti fabulas haud dubiè actitari. Prodeunt Reges, Satrapæ, alia officia, & quidem satellites, ac persona in speciem, & multe. Ecce, alii diutiùs in scenâ loquuntur, & hærent, alii ostendunt se saltem, nec vocem edunt. Simile nobis est. Vario munere aut dignitate in Theatrum hoc universi mittimur. Alii silentiò transimus, aut ostendimur tantum. Nihil deterior tamen ille, qui in vili veste, qui non diu hæsit, quam ille, qui Regem, aut longum carmen egit. Dignissima vox est, aureis ut inscribatur literis, menti commendanda est penitus, & sæpe memoriâ tractanda, quam CLAUDIANUS eruditus his enunciat versiculis:*

*Sub tua purpurei venient vestigia Reges,
Deposito luxu turbâ cum paupere mixti.
Omnia mors æquat.*

Hinc Alphonsus Rex Arragoniæ interrogatus, *quæ res Reges ac Privatos, opulentos ac inopes, claros ac obscuros, omnes denique, cujuscunque essent ordinis, status, sexus, prorsus exæquaret?* Cinis, respondit; maturè judicans, post mortem Regis à privato, divitis à paupere, formosi ab informi personam nequaquam esse disitam. Audi Imperator, audi Princeps, audi Nobilis, audi pulchelle & delicatule Juvenis, audi tenella virgo aspersum sale sapientiæ responsum Alphonsi. Dictum & illud vobis esto. Aquilam imitatur Alphonsus. Illa, cervum præliò aggressura, multum pulverem, alarum volutatu collectum, excutit in oculos cervi, cornibus media insidens, & pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes. Sic Hic homini, in vetita ruenti, aptè respondet, sternitque eum cinere ferali. Atque idem illud est, quod significarunt Ægyptii, qui, referente prolixius HERODOTO, Historicorum Parente, olim in divitum epulis cadaver ligneum, sed quam proximè ad vivum effectum, ostendebant. Illorum unus intuens in hoc singulis dicebat: *Pota, & oblectate, talis post mortem futurus.* Hæc de posteriori comparationis Tertiò. *Applausus* restat, qui inter Mimum & vitam nostram pontis alicujus instar interjacet. Actores sanè in Theatro omnes Gestus, Verba, Actiones, ita pro re natâ instituunt, ut coram innumeris Spectatoribus

toribus cum applausu Theatrô exire, latiç; occinere queant: *Valete & plaudite.* Sic Christianis semper agendum est in hoc Mundi Theatro, ut & coram Deo, summo Comœdiæ nostræ Autore, & coram Angelo, gravissimo Censore, & coram homine, qvaliqvali Spectatore, & coram Diabolo, fraudulentò Delatore, justam agant causam. Qvò respicit effatum EPICURTI, qvovis oraculô verius, sive Ammonium, sive Dodonæum, sive Delphicum fuerit. *Memento, inquit, actorem te esse fabulae, qualem doctor voluit: si brevem, brevis; si longum, longæ.* Nec aliter VARRO dixit, Romanæ sapientiæ Antistes optimus, non eos optimè vixisse, qvi diutissimè, sed qvi modestissimè vixerunt. Planissimè sic est. Non refert, ubi, aut qvando, aut qvomodo desinamus. Cùm Deus volet, desinendum est; modò nos applausum habeamus bonum. LABRTII hæc eadem mens est, qvi in Zenone bono Histrioni similem esse sapientem ait, qvi, sive Therisitæ, sive Agamemnonis personam acceperit, utramq; decenter exprimat, & imitetur. Non igitur attendendum est, qvi jam simus, sed qvi futuri simus, ubi larvam & personam posuerimus: Nec refert, primi an ultimi Actoris partes susceperimus, modò bene agamus. Quid opus est pluribus momenti rem diducere? Unicum exemplum addere lubet, qvòd est *Caroli V.* augustæ memoriæ Imperatoris. Hic apparatus mortualem, sanctissimè æmulatus Maximilianum, apud se habuit qvinç; annis, ubicunq; locorum esset, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficisceretur, & diligentissimè singulis noctibus in suo cubiculo reponi iussit. Qvæ causa erat thesaurum eum asservandi? Sibi conscius Imperator in rei charissimæ usum apparatus mortualem secum deferebat: Assiduè qvippe mortem cogitabat Carolus, & bonum applausum singulis diebus exoptabat, ad lucrum qvotidie surgens. Non obtundam diutius, Auditores Splendidissimi, *Argumentis procul disitis aures vestras: Jamdudum enim metuo, ut Oratio mea aliena à qvotidianâ dicendi consuetudine esse videatur. Succedant ergo propria: Nam & suam personam magnificè expresit Generosus noster Heros, sed, morte ereptus, exemplum mortalitatis ostendit, ac eò innuit, verè Vitam humanam esse Mimum.* Multum juris Fata adversus imperia & urbes habere præclare dixit SENECA: *Qvoties Asia, inquit ille, qvoties Achaia urbes unò tremore ceciderunt, qvot oppida in Syria, qvot in Macedonia devorata sunt? Cyprum qvoties vastavit hæc clades? Qvoties in se Paphus corruit? frequenter nobis nunciati sunt totarum urbium interitus. Pompeios, celebrem Campaniæ urbem, Regiò & Virginiò Consulibus a. d. Nonas Februarii desedisse terra motu, deniq; Herculansense oppidum eandem cladem expertum fuisse, tradit idem SENECA.* Eodem, inquam, modò Viri summi ac gravissimi alii inter reliquos caput efferunt, & longissimâ celebritate perennant, aliorum caduca est gloria, alii ne surgunt qvidem. Exemplo Vobis esto *Generosus Vir, Fridericus de Metzsch,* in qvem vices hæc fatalis termini inprimis expectunt. Nonne ille diu perennavit tot saluberrimis Consiliis, tot splendidissimis Dictaturis, tot Legationibus augustis, cùm aliis primâ

20-5397 A
juventæ face, ne surgentibus quidem, fatalis mors ingruerit? Obiit
autem tandem diem suum *Vir*, si *Stemma* spectes, antiquâ *Prosapia*, si
Scientiam, *Juris cognitione*, si *Dignitatem*, *Honorum eminentiâ* longè
celeberrimus, cujus certè ingenium, ab ineunte juventutis flore, quàm
varium, quàm præstabile, quàm multiplex erat, ut, si *Virum* aliquem
perfectum cuilibet *Seculo* semel tantum contingat nasci, quod olim
credebatur, Ille unus huic nostro seculo, frugis bonæ sterili, videatur
natus, *Vir optimus* pariter, atque optimus *Civis Reipublicæ Electoralis*.
Nam quemadmodum, si quis quondam animum præberet *Calliæ*,
statim *temulentus* evadebat: Si *Ismenia*, *Tibicen*: Si *Alcibiadi*, *jaçator*
& *superbus*: Si *Crobilo*, *coqvus*: Si *Demostheni*, *Eloquentiâ præstabilis*:
Si *Epaminonda*, *rei militaris peritus*: Si *Agésilao*, *Magnificus*: Si *Pho-*
cioni, *probus & bonus*: Si *Aristidi*, *Justus*: Si *Socrati*, *Sapiens*; ita *Gene-*
rosus Noster, cum aliorum quoque *Summorum Virbrum* affatim effi-
gies ob oculos Illi obversarentur, ejusque animo *Singulorum* aliæ atque
aliæ virtutes sæpe recurrerent, non poterat à *Majorum Gloriâ* *Virtuti-*
busque in contrariam vel ignorantia vel malitiæ consuetudinem de-
duci. His ex causis necesse est, tanquam immaturam mortem *Viri*
Generosi in sinu nostro defleamus: Si tamen fas est flere. Nam, vel
Judice *SENECA* nostrò, supervacuum est flere, si nihil flendo proficia-
mus, deinde iniquum est, queri de eò, quod uni accidit, & omnibus
restat. Denique desiderii stulta conquestio est, ubi minimum inter-
est inter amissum & desiderantem. Respiciamus *celeritatem rapidis-*
simi temporis: Cogitemus *brevitatem hujus spatii*, per quod citissimi
currimus: Observemus *hunc comitatum generis humani*, eodem ten-
dentis, minimis intervallis distinctum, etiam ubi maxima videntur.
Quem putamus periisse, vivit, vivetque semper, atque etiam latius in
memoriâ hominum & sermone versabitur, postquam ab oculis reces-
sit. Recesit, inquam, ne videret flagraturam bellò Germaniam, ne
ardentem invidiâ *Vitam* hominum, ne *Ecclesiæ luctum*, ne *exilium*
Proborum, ne-ne-ne-denique in omni genere deformatum *Mundum*,
in quo quidem *Nobilissimus Noster* multum omnibus gloriâ præstitit.
Non possum, *Auditorès Benevoli*, pergere, quia gravitas *Viri* & ipsa
altitudo *Rei* omnem aciem intentionis abrumpit, superatque dictionis
meæ tenuitatem. Quare est, cur cum *DIOGENE* proclamem:

CLAUDITE PORTAS, O MYNDII,
NE PER AMPLAS PORTAS
EXCURRAT OPPIDULUM.

✽✽✽

MC

1077

F. R. 91.

13

X 2054908

Fo. 22.

Zc
6397

A & n.
PROGYMNASMA
DE

VITÆ HUMANÆ MIMO,

HEINR.

NDUM

Toparcham in

e Dieters-

Elect, Sa

num

FRIDERI

ZSCH,

Toparch
S. Rom. Imp. Ar
Serenifs. Elect. Sa
Patriâ pr

&c.
Confiliarl &
Optimatis de
bilis,

CHR.

Freib,

CASPARE

Schönberg/

OSWALDUS R

asticum audien-

AUGUSTUS S

m Mimum vitæ

SAMUEL Kielm

grates ultimum.

ANNO ÆR. CHR. M DC LV.

Die D. Nicol. Hor. I. pomer.

STANNO BERTHERIANO.

